

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

XLIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

sed etiam cum in ipso conspicerentur virtutes, & præclara dona Dei, quibus juxta doctrinam Apostoli Ecclesiæ insignem aliquem Pastorem præditum esse oportet, unde & factum est, ut cum Reverendus & Sanctiss. memoriæ vir, Magister Matthæus Cellius, ex hac vita ad æternam illam Ecclesiam commigrasset, facta electione communibus piorum suffragiis in præstantissimi dicti viri locum susciperetur. Etsi autem paulò post suborta per Germaniam gravi Ecclesiarum persecutione coactus fuerit, sicut & alii, in aliam commigrare Ecclesiam, infraçto tamen animo adversus omnes adversariorum insultus semper perstitit, & magna constantia & alacritate una nobiscum sanæ doctrinæ corruptelis, quæ magno applausu proponebantur, contradixit, solidis tum argumentis, tum Sacrarum Scripturarum testimoniis, AntiChristi fraudes, imposturam & multiplicem Idolomaniam detegens, totisque viribus in hoc ipsum incubuit, ut suis auditoribus fundamenta Christianæ Religionis, rectè & synceriter secundum Augustanæ Confessionis formulam traderet, quam novit diligenter, considerata universa antiquitate, verè esse consensum Catholicæ Ecclesiæ Dei, & firmis Sacræ Scripturæ testimoniis niti. Quod ad vitam verò ejus & conversationem attinet, bonâ conscientia hoc illi testimonium deferimus, inculpatè ipsum apud nos vixisse, & nobiscum in eodem ministerio, sicut concordiam & amicitia officia studiose coluisse, ita etiam amanter singulis decentem reverentiam præstitisse, ac ut fratres suos & dilectos Consymmitas esse complexum. Itaque cum intelleximus, eum à nobis ad Ulmenis Ecclesiæ gubernationem avocari, plurimum sanè perturbati fuimus, non quod istam felicitatem illi Ecclesiæ invideamus, sed quod non immeritò tanto viro & Collegâ nos, nostramque Ecclesiam orbari, hoc præsertim tam perturbato & periculoso tempore, dolemus. Sicut autem Filius Dei in agone suo precatur æternum patrem, ut server Ecclesiam, ac faciat, ut omnes unum simus in ipso, ita nostros quoq; gemitus & vota ad ardentissimam precationem hujus summi Sacerdotis Filii Dei adjungimus, ut in hac ultima mundi senectâ semper sibi æternam Ecclesiam, tam Ulmæ quàm in his regionibus, colligat, ne lumen suæ doctrinæ & aliarum honestarum artium apud nos extingui sinat, ac mentes nostras gubernet, Spirituque Sancto copulet & efficiat, ut in utraque Ecclesia nostra ministeria sint salutaria, Amen. Datum Argentorati, 25. Januarii Anno Christi 1557.

## XLIV.

**S** Etsi literarum tuarum ingenti desiderio tenear, Vir ornatiss. eò tamen facilius fero silentium, quod id negociis tuis imputem, quorum magnitudinem, vel ex meis qualibuscunque æstimare possum, Velim tamen, ut  
vel

vel paucis aliquando Sulcerum tuum reficias. De præstitâ operâ tuâ in Palatinatu, scripsit ad me Dillerus, Dominus JESUS faxit, ut iactis veræ pietatis fundamentis, superædificetur domus DEI structura, pari successu. De Ecclesiæ vestræ statu altissimum est apud nos silentium, neque quid spei affulgeat melioris ex Comitibus, accipimus. Non desunt tamen, qui etiamnum durare controversiam cum Beato affirmant; quâ ex re etsi justum dolorem trahimus, quod tamen adferamus vel auxilium vel consilium, non video, nisi ut precibus assiduis interpellemus æternum patrem Domini nostri JESU Christi, ut ipse spirantibus adsit misericorditer. Si quid velis de his mihi significare, facies tutò, quod esse tibi persuasiss, arbitror. Ceterum de promotò ad Collegium Thomæ Symistæ chariss, filio, gratias ago ingentes, & ut rogationum finem faciam, pro eodem nunc unice te precor, ut si queas, efficias, quo stipendio aliquo juverur. Nam propter liberorum multitudinem pater, sustinendis sumptibus non sufficit, & ægre tamen ad se ipsum ex Scholâ vestrâ revocat, ubi intelligit fructum facere non pœnitendum. Quo magis pro ipso etiam ego sollicitus sum, quod pius & in Domino mihi conjunctissimus frater hunc filium ad usum ministerii consecrarit, certoque sibi persuadet, si remotus à patrio foco, sub vestra disciplina degat, spei se suæ fore compotem. Si quid ergo hunc juveris, collatum in nos beneficium omnes interpretabimur.

Cæterum est, quod & præsentium latoris nomine abs te petam; ut si qua possit fieri, tuâ veniâ frui apud nos stipendio Baronis cujusdam possit. In spem reformandæ apud suos religionis, voluit quatuor juvenes qui paulò maturiores, ipsius nomine recipi. Arbitror, id tantò minus futurum grave tibi, quod non sint defuturi mox innumerabiles, qui in vicem substituantur. Adde, quod ad promovenda veræ pietatis primordia ipse toto pectore propendes. Nova apud nos per pauca sunt. Apud Rhætos comicia generalia celebrata sunt, quibus constituta sunt plurima, ad religionis veræ propagationem factura. Advenerat Satanæ Apostolus, Episcopus Taracinenfis, à Pontifice missus, ut remoras injiceret, sed abiit confusus per DEI gratiam. Audimus Gallicam expeditionem Romam spectare, ad liberandam obsidione Babylonem. Existimatur Dux Albanus suum exercitum reducturus in Neapolitanum Regnum, & distributurus per munitissima quæque Regni loca, atque ita Gallicas copias fame aliisque incommoditatibus fatigandas. Novit Dominus, quid futurum sit. Bene vale in Christo JESU, cum uxore & tuis Symmistis omnibus. Basil. 24. Febr. Ao. 1557.

*Tuus ex animo*

Sulcerus.

XLV. Gos.